



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 8. [i.e. 9.] Si Deum erga se volunt misericordem peccatores, sint ipsi
misericordes erga pauperes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

aut niue, & frigore concretos, aut alia ratione itinere grauatos, ipse festinans hilariter eis ibat obuiam, & rogabat, ut à labore requiescerent: & cum cessissent, in domum suam introductos hospitio benignè accipiebat, & verbis, & factis eorum omnem propulsabat molestiam. Quare non sustinuit Dominus, despiciere animam hanc: neque animam Aglaidis, quæ & ipsa in Bonifacij liberalitatem consensit, & multum auri tradidit, ut etiam haberet, quod distribueret pauperibus.

§. IX.

Si Deum erga se volunt misericordem peccatores, sint ipsi misericordes, erga pauperes.

Nimirum beati misericordes, quoniam ipsi Matt. 5. 74 misericordiam consequentur. Hæc sunt iudicia diuinæ bonitatis, ut si quis pauperi det obolum, emat cælum; si panem porrigat, aut aqua frigida haustum, mercede sua non careat. Matth. 9. 40. Qua mercede? Nimirum huius & alterius vitæ. Hinc nihil speciatim dixit, quando dixit: *misericiordiam consequentur*; ut utrumque dixisse censeatur. Quando enim dixit: *Beati pauperes spiritu*; non addidit, quoniam illorum est regnum mundi & cæli, sed limitatè addidit: *Quoniam ipsorum est regnum cælo-*

cælorum. At cum ad misericordiam venit, non ad regnum cælorum duntaxat misericordes remisit, sed misericordiam vicissim spondit, quæ utique sapissime, etiam in hac vita, exhibetur. Vnde & illud habemus:

- Pf. 40. 2.** *Beatus qui intelligit super egenum & pauperẽ; in die mala liberabit eum Dominus.* Dies mala, cum Cassiodoro, potest dies iræ, diésq; iudicij quidem intelligi; sed non tantùm illa dies mala est. Mala est omnis dies, in qua malum patimur; nec, quando in oratione dicimus: *Libera nos à malo*, à iudicio tantùm liberari petimus; sed multò maximè à peccato, & peccati pœnis. Itaque, etiam Apostolo teste, *pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futura.* Qua de causâ Pater ille filio suo hoc documentum dedit: *Ex substantia tua fac elemosynam, & noli auertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec à te auertatur facies Domini.* Siquidem eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis, ait Seruator.
- 1. Tim. 4. 8.** Vnde etiam, *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur;* sicut non exauditus est Epulo clamans: *Pater Abraham, mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret*
- Tob. 4. 7.**
- Matt. 7. 2.**
- Prou. 2 1. 13.**
- Luc. 16. 24.**

frigeret linguam meam; quia ipse prius non exaudiuit Lazarum ante fores clamantem. Iustè negata est gutta, à quo negata fuit mica. At alijs, quibus frustra dictum non est: *Date, & dabitur*, quia dederunt pauperi, idcirco dat & Deus, siue cum esuriunt, siue cum sitiunt, siue cum ægrotant, siue cum calumniam patiuntur; siue cum periclitantur de æterna damnatione. A Bonifacio igitur, & Aglaide, ô mortales, discite esse misericordes: quia *eleemosyna est, qua facit inuenire misericordiam*. An ignoras, inquit, os aureum, qui iudicem mitigare volunt, non ipso examine caussa, sed priusquam iudicij ingrediantur locum, beneuolum sibi facere, vel amico, vel mediatore, vel præfule, aut modo alio, sibi iudicem conciliare. Igitur & Deo, non sessionis tempore, suadendum. Ante iudicij tempus mitigabilis est, & ideò David ait: *Præoccupemus faciem eius*. Illum magnum iudicem ars rhetoris nulla decipiet, & nullius potentia mitigatur; dignitati non condescendit, non veneratur personam, sed tremendum & implacabile iusti iudicium. Nunc verò iudicem exorabimus, & placabimus, non pecunia; magis autem, (si verum dicere oportet) clemens & pius ipse pecunia suadetur, non ipse manu sua, sed

Tob. 12. 9.

S. Chry.

solt. hom.

5. de pe-

nit.

Ps. 94. 2.

sed per inopes accipiens. Da pauperi pecuniam,
& indicem mitigaueris. Hoc & Aglais fecit;
& si facerent aliæ quoque, in malo Aglai-
di pares feminæ, fortasse & ipsæ misericor-
diam consequerentur.

§. X.

*Quam utilis etiam peccatoribus, sit cultus
reliquiarum?*

Sed aliud quoque fecit Aglais, quo sibi
patrocinia conciliauit. Subijt enim illam sa-
lutaris cogitatio ac vehemens quoddam & inui-
ctum desiderium reliquiarum Martyrū. Hinc
Bonifacium ita est allocuta. Scis, frater,
qualibus simus coinquinati peccatis, nec nobis
cura esse aliquid, quod expectamus futurum,
ut sistamur ante Deum, & pro his grania su-
beamus supplicia. Ceterum audini a quodam
viro pio, quod, si quis eos, qui propter Christum
passi sunt martyrium, in honore habuerit & co-
luerit, magna quedam & praeclara eum illinc
ex eo manet remuneratio, & eadem qua illi,
fruetur beatitudine. Hæc est altera causa,
ob quam Aglaidem à Deo non negligi con-
gruum fuit; quia scilicet ipsa Sanctos
Sanctorumque reliquias non neglexit.
Quod r. fecit, exemplo Patriarcharū. Nam
Iacobus Edyssenensis Syrus memorat, Patri-
archam

Apud
Andream